

GRATIAR[illegible]

AD SERENISSIMOS H[illegible]

PRINCIPES.

Quædam Anatomica in Epistola

AD SERENISSIMVM

FERDINANDVM II.


MAGN. HETR. DVC.


ET

PROPOSITIO MECHANICA.

Authore Laurentio Bellin[illegible]

Ord. Anat. Prof. Pi[illegible]







Pisis Io. Ferr. Impress. Arch. 16[illegible]
Superiorum Permissu.

SERENISSIMO

FERDINANDO II.

MAGN. HETR. DVCI.

Laurentius Bellini Fel.

COntigit mihi tandem dies Serenissime Ferdinande, qua in concione refertissima dicere potui, & quod vnicum exoptaueram, ita dicere, vt ea ipsa res quam agebam aliquod grati animi specimen exhibere mihi permiserit, quē immensum debeo maximis, atque innumeris promeritis er-

ga me tuis; quid enim officiorum eſt, quo vel ex eo tempore me non deuinxeris, cum primum cliẽtibus tuis adſcriptus ſtudijs melioribus informari cepi, aut quid ego pro iis referam angustæ rei ac facultatis homulus vnus e multis præter candorem animi ingenue in cætu hominum profitentis tuũ eſſe quicquid eſt quod ſum, atque adeo deberi tibi me totum? *Præmijs* ſæpius, ſæpius honoribus cumulatum me voluiſti, quorum alterutrum, vt ex ſe ipſo qlbt. largitore qlbt. ſecũ do reum ſtatu am liſſimi bene-

ne-

neficij loco ſit etiam promerenti, quid erit vtrumque mihi vix quicquam merito, atque a te Principe datum, ac ſemper aut in Fortunæ periculis, aut in machinamentis inuidiæ? Horũ ego memor expectabã ſi quãdo publicè verba facturus de beneficijs tuis loqui poſſem, cũ vltro occaſionem obtulit theatralis Anatome, quam proximè adminiſtraturus facile ſenſi id muneris tenuitati meæ longe perhonorificum, & glőriosum expoſcere, vt ſi ipſi re minus poſſem, ſaltem grata aliqua verborum ſignificatione

Principibus auctoribus respondere atque in dignitatis argumentum exponere seriē praecedentium officiorum adeo in me minimum occurrebat quo provinciam Anatomicam cōparare potuerim tuarū extra merita gratiarum. Quod itaque peropportunum visum est, ea statim die, qua primo theatrum Anatomicū expertus sum mei muneris, ac loci genio postulante in densissimis auditorū cuneis de beneficijs tuis ex voto dixi, ijsque minus ingratus esse atq; haberi studui Te, Tuaeque familiae *Principes*, quibus

com-

communiter omnia debeo, cō-
muni gratiarum actione com-
plexus, quæ cum iam publicā
fidem in theatro promerita,
omnē aſſentationis ſuſpicionē
auerterit, en ipſam tibi *Prin-
ceps* Auguſte teſtē voluntatis
meæ beneuolentiam erga me
tuam digne proſequi anniten-
tis. Atque ita quidem mihi ſua-
debam fidē benemerentis ani-
mi liberaſſe, ratus in id ſuffice-
re ſi quæ accepta referre ne-
quis, accepiſſe fatearis; at tu,
Princeps ampliſſime ita benefi-
cium beneficio premis, vt iam
aut mihi ſuccumbendum ſen-

tiam aut nullum futurum esse finem actionibus gratiarum. Quid istud rei est, aut vnde merui, vt me laboribus Anatomicis expeditũ graui argento mu neraris? An non ego ijs ex officio subeundis stipendio conductus, aut is liberalitatis tuæ genius admirabilis vt gratiã referre velis etiam officium persoluentibus? Quic quid id est periculosum hunc mihi locum facit, & propter eam, quam sẽper euitaui inuidiam silentio declinandum: itaque

Pro re pauca loquar,
& satis benignitati tuæ sit si

ple-

plenus ingenui pudoris fateor ſentire me vim muneris inſolentis, atquè permittas velim, vt verbis ſufficiam aliquid è re mea, & exponam quod meditor Anatomicum non quidem vt impleam expectationē tuam mea mediocritate multo maiorem, ſed vt intelligas conari, ac velle me ijdem pro viribus ſatisfacere.

Spondeo ego doctrinam de Reſpiratione quantum arbitror vniuerſam, eoque ordine comprehensā vt niſi, vt fit, in re propria fallor, pars potior Pectoris, & Pulmonū ſpectata fabrica certa ſit, & eui-

dens adeo ſibi aptè reſpondent omnia, & principijs geometricis innituntur. Rei ea ſumma eſt. Ruit in aſperam Arteriam aer momento compoſito ex grauitate ac vi laterali, eoque aeri extrinſecus circumprimenti ſuperficiem pectoris æquiponderat: hinc muſculis inſpiratorijs ſeſe contrahendi poteſtas permittitur, vnde coſtarum eleuatio, ac dilatatio, & aucta Pectoris amplitudo; Tum penitior aeris irruptio, & expanſio pulmonarium ductuum: quod totum in Inſpiratione cõtingit. Mox proprio pondere concidentibus ſupra tumidum pulmonem coſtis

ſpa-

ſpatium Pectoris anguſtius ſit, & earum, ac diaphragmatis vi pulmo comprimitur, & partim per os extruditur contentus aer, partim ad minima vſque vaſcula adigitur ſi quorum anguſtias penetrare proprio pondere non potuit, quouſque totus pulmo detumeſcit reſtitante ſolum in eius veſiculis expanſa portione aeris: quæ ſeries eſt Expirationis. Hinc reſiſtentiæ minoris occurſu poteſt externus aer rurſus irruere, & eodem ordine opus Reſpirationis inſtitui. Hæc autem vt euincantur, oſtendam prius muſculos Pectoris non modo diſpoſitos ad le-

ges Mechanicas, pro maiori resistentia superanda validiores, pro minori debiliores, verum etiam quadam interioris geometriæ peritia, ut sese in Inspiratione contrahentes figuram Pectoris multo capaciorem efforment: costas in expiratione ex seipsis cõcidere figuræ, positionis, atque articulationis artificio: Diaphragmatis, ac musculi triangularis fabricã quantum ex aliorum figuris, ac scriptis sciam nulli notam, & utriusque usum persimilem, & ex his ea omnia constabunt euidenter. Insuper unum esse usum aeris in pulmonibus, ut a capilla-

ribus vasis arteriæ pulmonariæ ad capillaria venæ sanguinē adigat, seu ex altero in alterum sinū cordis, & in hoc transitu per pulmones sanguinem solui. Neque ita solum in homine, verum hæc eadem etiam in brutis se habere monstrabimus, & machinam in auium costis exponemus perelegantem, & quid vicarium costis in testudinibus, atque idem obtineri per aquam à piscibus appulsam ad bronchia, quod à cæteris per aerem pulmones explicantem. Hinc vero quanta, & quam facilis propositionum series ad pulmonum omnium figuras, suctus,

vulnera, Respirationes varias, mutatas, aut impeditas in diuerso aeris, pulmonum aut Pectoris statu: quæ omnia quiuis intelligat ex se ipso, dummodo id etiam supponat, aerem æquo rariorem & æquo densiorem Respirationi ineptum esse, & prohibere excursum sanguinis per pulmones. Denique ex ijsdem principijs deducã probabiliter fœtum in vtero non respirare, quod fortè etiam geometricè demonstrabo si per occasionẽ licuerit comparare diametros arteriæ pulmonaris, & anastomosis cum arteria magna.

Addam his opusculum de motu,

tu, atque vſu Bilis, quorum alterum geometricum eſt, alterum ex eo pendens obſeruationibus illuſtrandum. Euincet illud Fel a Iecore, & Vesicula ad Inteſtina fluere, non e conuerſo, nec a Vesicula, & Iecore in Cauam; ſpectata diuerſitate momentorum, quæ mouentur fluida per contractiles & inæqualis amplitudinis tubulos: vnde conſtabit Bilē, e Veſicula elici non poſſe, niſi extrinſeca aliqua virtute comprimatur, quā ab adſtante, ac diſtento cibis vētriculo petam ſtatuens Bilem in Vesicula ſe ruari ad tempus digeſtionis, ac tantum non euiden-


ter oſtendens per eam tum tempo-ris fluentem ad Duodenum cibum a Ventriculo præparatum in Chylū faceſſere. Hinc ratio ſitus Veſiculæ, capſulæ cammunis in Iecore, cur ductuum felleorum aliquot in Veſiculā deſinant. cur nonnulla animalia eadem deſtituta, facilè ex antecedentibus explicanda. Adhuc tamen obſeruandus mihi ſitus Veſiculæ in quotquot occurrunt animalibus præcipuè in carneo Ventriculo præditis. Pancreatis etiam locū penſito, & humorem eius exprimi eodem quo Bilis tēpore deduco vt ab vtriſq; permiſtis formetur Chylus.

Erit his appendicis loco Geometricum quiddam demonstrans qui fieri possit vt in Vesica vrinaria generentur Conchylia spiralia si per Vreteres exprimatur quid molle aut viscidum in Vesicæ resistentiam incidens eàque occasione explicabitur quo pacto possunt in terræ superficie similia intorta corpora produci, quæ in quibusdam montibus obseruant.


Hæc Anatomica quasi semina postquam in suum robur, ac magnitudinem creuerint constituam ante Celsitudinē Tuam voti reus, & si quæ his conciliari posse videbitur

Nulla meis ſine Te quæretur gloria rebus.

Vale diù Princeps æuo dignissime, tuàque me authoritate tueri ne deſine.



AD



AD SERENISSIMOS HETRVRIÆ PRINCIPES

PRINCIPES

Gratiarum actio pro Anatomini officio. An. 1669.

AGO Vobis gratias Sereniſſimi viri PRINCIPES, & ſi veſtra meaque conditio paterentur etiam referrẽ. Sed neque is ego ſum, qui ſoluere poſſim, neque ij vos, qui mutuum exigere debeatis. Tenuis officij indiciũ eſt compẽſa-

ſatio, & anguſti, ac ſterilis animi quãtum erogaueris, tantũ expectare quod ſubrogetur. Veſtra munera PP. vt ab vberrima, atq; ampliſſima gratificandi voluntate proueniunt ſubſtitutionẽ non poſtulant, atq; vt maxima ſunt,& honeſtiſſima omnem mihi ſpem remunerationis abripiunt. Quod igitur vnũ mihi permittitur, quod vnum ſupereſt gratias ago: Verum non in conſpectu veſtro PP. quorum præſens Maieſtas in ſuſpicionem aſſentationis perduceret, nec mecũ tacitus,& in receſſu vbi ipſa ſolitudo ignauã faceret gratificationem, & irritam; Sed vt hominis eſt verè gratum animum teſtificari cupiẽtis, hic coram, & Populo gratias ago, in frequentia veſtra iuuenes, in communi hoc noſtrum ordine PP. ampliſſimi, vobis audientibus Illuſtriſs. Præſides, in conſertiſſimo conuentu Ciuium, & exterorum. Nec mirum eſt ſi ita publicè ſi in tanta auditorum varietate grata profiteor, cum vbique pateant veſtrarũ mille argumenta gratiarum; Singularis

de

de me adhuc Adolescente suscepta cura, initi congressus, instituta colloquia probatus genius, promota studia, cumulatæ donationes, excitatæ spes omni mea expectatione superiores, quas, quã breui, quam honorificè impletas credideram, ipso ætatis in flore in liuoris obtrectantis oculis, nondum insignibus non dum titulo sapientum auctus, iussu ac voto vestro PP. inter huius Academiæ Patres adlectus adhuc impuber, raro munificentiæ benignitatis, atque existimationis exemplo. Sed qui benefaciendi modum non ad angustiam desiderij mei, verum ad amplitudinẽ voluntatis vestræ metiebamini, illud esse voluistis quasi minimũ specimen eximiæ propensionis, qua in me ferebamini adeo ex eo tempore vniuersũ vitæ meæ decursum, ac statum multipl ci beneficiorum ordine versastis, dign tate decorastis, magnitudine obruistis. Breui gratulatione atque in aliud desinere properante vniuersa complecti nequeo, tam ampla sunt, & copiosa; at ne-

que omittere possum admirabile beneficij genus, & nouum, quo cum mihi de rerum vicissitudine magis timendum vitam otiosam, & quietam, & ab omni perturbatione securam statuistis, ne susceptum studiorum cursum abrumperē. Mors amātissimi Patris mei, cui adhuc illacrimari soleo, eius dulcissima recordatione permotus, præferebat exitum infelicem, rei familiari calamitatem, studijs ruinam. Sensistis id viri PP. vestrique ingentis animi memores ęrumnis meis accurristis. Quo autem artificio PP. quam inaudito quam magnanimo! Manum modo munificam, modo potentem per vices temporū, & exigentiam, modo consilium præstitistis vndequaque gratificantes: ea tamen conditione, ac iussu, ne quis gratificationem resciret alius; ne quid ea super re in vulgus emitterem. Itaque instabat sortis iniquitas, & quæ meis prouentibus mirificè rūpebatur nacta occasionem vrgebat inuidia; vtramque aut viuidè superabam, aut constanter elu-

eludebām ad ſtuporēm hominum, qui latentis veſtri ſubſidij neſcij, vndè mihi tanta bonorum, & conſilij vis ſuppeteret mirabantur. Veſtrum id erat opus PP. qui nullo anteacti temporis exemplo ad futuri miraculum deferre vobis voluiſtis, vt ipſe exornarer; & occultatione munerum efficere, vt quam illa gloriam, atque admiratione merebantur, in propriam præſtantiam, ac rerum affluentiam referretur. Sic ſuus rei domeſticę ſtetit honor, & quies, mihi otiū & cōmoda, vitæque felicitas, & acrior bonarum artium exercitatio. Irem ego per vtramque vicem fortunæ meæ proſperam, & aduerſam; quid autē aduerſam fortunam meam falſo commemoro, quam aut veniētem occupaſtis, aut imminenti me ſubtraxiſtis? Irem itaq; per vtramque fortunæ vicem, alijs adeo variam, atque ærumnoſam, mihi veſtra opera PP. ſingularique ſtudio ſemper æquabilem, & conſtanti tenore tranquillam: ſed inſtat, & clamat hic dies, & me muneris admonens, cuius hodie

in

in potestatem venio, iure suo sibi vindicat, ac reposcit, quam publicam grati animi significationem tam ingentibus atque tam publicè receptis beneficijs vltro concedere. Nunc igitur quod huius diei propriũ est de Anatomica Prouincia gratias ago; non vt ce ll - ta solum, qui esse debuerat superioris Anni labor, verum etiam vt per eius temporis interuallum seruata, ac denique restituta. Hoc vero quanto cum officiorum apparatu, qua munerũ pompa quot vestri animi nimium erga me propensi monumentis, quanto cum incremento nominis, & gloriæ meæ; Annus ille, vt mihi propè fatalis ingratus, vt tanta, ac tam aperta amoris in me vestri mercede redemptus, maximè carus, infensa valetudine inuasit insperãtem: turbatus ordo corporis vniuersus, excitatus tumultus intestinus, vitiata munia, fractæ vires. Hinc paulatim nõ distribui nutrimentum, diffluere aliũ, cohiberi discursus sanguinis, febre corripi, æstu iactari, & quod vnum petere

vi-

videbantur tot impetus, angi mirificè caput, atque incendi, violentis ictibus creberrimè concuti: quo capitis cruciatu cessante, quasi eius excidio pacata seditione mitiora facta sunt omnia: sed velut inuidioso Duce sublato minimū quiescit Plebs quæ sui impos ac regi nescia mox inconsulto rapitur in mutua vulnera, atq; ex seipsa perditur; Subito afflicta corporis parte Principe, sæuire morbum intensius, & me ad extrema deducere. Tunc ego lustrare me totum, & vndiq; occurrere argumenta discriminis mei. Hęrens imis visceribus humor nocentior, aridæ fauces, sitisq; nullus sensus, consumens ardor intrinsecus, inquies, dormitans, lassitudo virium, & consternatio, vbiq; macies, & pallor, & imago cadaueris, dubia mens & quod maximè lacrimabile in tanta malorum eluuie opinio nullius mali; quam tamen si qnando mei compos factus recta periculi cognitione corrigebam, de me facile desperabam, ijs subsidijs, ijsq; subsidiarijs destitutus quæ

illa necessitas postulabat. Vos optimi PP. præsentissima semper numina casibus meis, ijs in laboribus aberatis: sed aduenistis, multoq; opportunius quam expectaueram, & celeritate præuenistis sollicitudine, ac liberalitate meum omne votum superastis. Vix Serenissime FERDINANDE ab itinere noctem quieueras, cum inopinato missus, qui tuo nomine gratiæ argentum traderet cum dicto: Bono sis animo iubet Princeps, bene casura omnia, tantum de reparanda sanitate cogites, cæterum si quid opus est fidenter petas. Permouerunt me tam copiosa, tã festinata munificentia, oblatio tam ampla, tam plena miserationis, & beneuolentiæ nunciata verba, ijsque perculsus animus cogitationem repressit, ne in vocem erumperet; multaque reputans de eius dicti factique magnitudine, & insolentia, tantum humanissimi Principis nomen inter alta suspiria sæpe submurmurans, nulla habita petitione conticuit. At tu Princeps amplissime, etiam maiora

iora meditatus, quam quæ optare, ne dum petere potuissem hos ipsos sapientia experientiaque spectatissimos viros languenti mihi præesse voluisti, quorũ operæ consilioq; tua ipsa salus cõmitti tur, parari e tuo penu medicamina, prodire ex aulica officina sumptuosa remedia, morbum fallere genialibus solatiis omnia mihi suppetere, quæ vel ipse laborãs exigeres. Auguste Princeps quid mecum tibi est; vt de me tam anxie cures; quæ pro merita, vt tam honorificè excipias, quota ego pars rerum tuarũm aut quanti sum, vt mihi super omnia tam maturè prospicias, quæ conditio, vt me tibi velis in curatione tam pare? Vincor ego contemplatione benignitatis tuæ meamque mediocritatem re spiciens redigor ad silentium id certus tua opera, tuaque voluntate me incolumenm, qua mea gratia demum ignarus. Tuo igitur dono e diuturna illa mor bi vicissitudine tandem eua nus, in qua quoties de me, & quam sollicitè scitabaris, quam honestè, quam magnificè

ficè loquebatis, quam apertè innuebas, me relictu:um desiderium mei si morerer. Euasimus, at vt finem faceret affli-ctandi morbus vos optimi PP. honorandi terminum nesciebatis, ac tum humanissimè gratulatum, & a studijs imperata vacatio & rusticatio permissa & concessa stipendia, quæ adeo vt alijs esse soleant laboris, & operæ, mihi quietis, & otij fuerunt emolumẽtũ. Per hæc ego beneficia vestra PP. tanta, ac tam innumera solido anni spatio progressus nũc deniq; Anatomicæ dignitati restituor, pro quo amplissimo munere me bis debere vobis iam sentio, primo quod dedistis, iam vero rursus quod redditis; quátum autem debeam, seu ipsius præstantiam, seù per quæ officiorum momenta ad supremum hunc honoris gradum me perduxistis, meditor, ne concipere quidem possum. Ab infensæ sortis discrimine, tũ me ab interitu vindicastis quo nec maius homini quicquam contingere, nec optabilius potest. Vos tamen viri PP. maximis semper, & opi-
 nio-

nionem excedentibus assueti inuenistis adhuc quod adder[illegible]tis, [illegible] beatam progenio vitam peperisse, modo incolumem seruasse contenti, votorum summam cumulastis, & prouinciã Anatomicam contulistis. Prouinciam qua in vniuerso litterarum ordine, nulla est rerum agendarum pondere multitudine, ac nobilitate præstantior. Probat hoc animantium genus tam eximium Diuini Artificis opus, tam varium, ac tam immensum vna Anatome contemplandum; nulla abditissimis Naturæ misterijs operosior; id ostentat altissima, atque admirabilis vitæ animæque conditio, partium motiones ac vires, instrumẽta generationis, sensuum atque intelligentiæ per tam occulta comparata: nulla in cognitionem præsidentis Numinis propensior; suadet vniuersa animalis Fabrica sine Custode aliquo, & sapientissimo Conditore tantum opus stare non posse: nulla suæ sedis maiestate maior, & huius laudis locupletissimum testimonium est locus

hic

hic augustissimus vni Ipsius ministerio datus, quo tempore scientiarum omniũ exercitamen... ...iubentu, vt vna excolatur Anatome, qui plausus excitat adeo promiscue con... fluentes popul, qui studiosorum animis stimulos adiũgit ad gloriam, admirationem ignauis, qui viros quotannis exercet ætate graues, studio acres, doctrina firmos, rerũ peritia singulares, e sapientum vniuersitate selectos. Possum ire per omnium disciplinarum appellationes, quas olim ipsis aut proprium cujusque munus dedit, aut vsus proximè & earum cultores pepererunt, illasque ad vnam Anatomiam traducere. Vocã certissimã geometrica contemplatione structurarum, iucundissimam varietate inuentorum, notitia humanæ constitutionis salutarem, Diuini Authoris commentatione Sanctissimam. Connecterem omnia merita virtutis, & cognomina nobilitatis; sed non hæc vobis suggerenda PP. qui iam per longum tempus edocti quantũ sit opus Anatome, intelligentiæ quam

amplæ, quam præcellentis materiæ, quot edat respons. veritatis ipsius ... mantium oraculum, vt omnes bonas artes semper amaueritis, Hanc tamen vnam præ cæteris non in licæis solum vigere voluistis, & litteratorum conuentibus, sed apud Vos in aula, in cubilibus ac penetralibus vestris PP. meditari, loqui, peritos consulere, testes oculos adhibere Anatomicis demonstrationibus, easque admirari semper, atq; extollere, nunquam tamen satis pro merito laudatas prædicare, nunquam abundè perlustratas obseruatoribus, nec cogitatas sapientibus, inexhaustas, incomprahensas, fatigaturas ætatem hominum, durationemque sæculorū. Hæc tamen vt omittere prudens debeā scientissimos, & rei anatomicę æquissimos æstimatores vos alloquens; aduertit animus muneris collati pondus, & eius conditionem reputans, meam, ac vestram PP. qui dedistis, tot in hoc vnum officium gratiarum argumētā confluere sentit, vt eas imaginatione consequi

vix confidat. Ego ſum ille arbiter anatomicæ poteſtatis non caſu, aut inconſulto renunciatus, aut priuatis comitijs, aut gratia potentiorum conſultu, aut rei ipſius ignaris dignitatis huius authoribus; ſed per voluntatem, atq; potentiam, per ſumma conſilia, per veſtra ſuffragia PP. qui Anatomes abſolutiſsimi Iudices, de eius nobilitate atque præſtantia, quà conſeruanda quà cumulanda maximè ſemper ſolliciti Ipſam non niſi ijs permiſiſtis, quorum probatam ſapientiam, modo amplitudine generis modo ſplendore diuitiarũ exornatam, aut ſenectus emerita, aut ſcientiarum omnium exercitatio teſtaretur; & horum alios mox ad ampliſsimos Reip. litterariæ gradus, alios vel ad Regum præcipua miniſteria hinc vidimus fuiſſe translatos. Hanc prouinciam PP. propria conditione tam glorioſam, miniſtrorum dotibus tam præcellentem, veſtro etiam iudicio tã eximiam mihi demandare voluiſtis: hac ipſa in veſtra conſcientia magnitudi-

nis suæ. Quis iam de me non cogitet, atque instructum audire non expectet valida meritorum manu optioni vestræ, & muneris amplitudini succurrentium? O beneficentiæ vestræ PP. fallacia sin singularem! Mihi non studium, in quo omnis disciplina continetur, non vis ingenij inexercitationis subsidium, non ætas per iuuenilem impetum dubiæ expectationis, & scientiæ: non genus augustius non speciosa decora titulorum, vndè causam repetam celebritatis, & gloriæ, non instrumenta suppetunt fortunarum, quæ angustijs animi prætendantur, ijque concilient honestissima nomina dignitatum: vna mihi voluntas vestra PP. Vos viri pro merito, spectata quorum sollicitudo de anatomica maiestate facit, vt quæcumque vobis statuitur, plena iustissimæ dignationis habeatur electio. Quid me oneras scisci. tator, an ideo dignus esse atque haberi velim? Tenuitatem meam scio, iudicia Principum non expendo. Non ego voluntatis vestræ PP. argumenta dispicio,

quæ vt priuatorum animis eminet, debet etiam eorum opinionibus sentire sublimius; verum seu in me quid aduertitis, quod hebetior ipse non videam, seu virium imbecillitati genium præponitis, seu concepta promissa facitis, atque id vnum spectabant tot vestra in vniuersum vitæ meæ decursum promerita, vt iis factus illustrior minus immerito anatomicę potestati præfici possem, illud est tam vndecumque perhonorificum, gratiosum, atque exoptatũ, vt libentissime fatear nihil vltra me habere quod cupiam, quin etiam vota transgressum. Nunc si hunc exitum beneficijs vestris optimi PP. esse voluistis, vt augustissimo titulo, & perpetua Anatomes potestate donatus omne desiderium meum a continua iactatione, studium a sollicitudine incerti exitus, omnem ætatem a grauissima permutatione prouinciarum, animum ab ingratis exercitamentis, me nomenq; meum ab humilitate, atque ignoratione hominum eriperem, quàm omni opinio-

ne superior ad hoc vnum officium, cumulus gratiarum accedit, aut quis esse debeat meæ huius gratæ significationis finis, aut modus? Agat adolescẽtia mea gratias, quæ olim hanc prouinciã spe propensionis erga me vestræ conceperat; minora litterata munera, per quorum gradus ad hoc supremum me perduxistis; agant honores cæteri quà publicè quà priuatim concessi nuncij, ductoresq; futurorum; constans ille tenor felicitatis, & otij, aut conseruatus aut partus; agat vitalis hic spiritus vestra opera adhuc superstes: agat gratias hæc ipsa votorum, atq; animi mei quies, ad tantam amplitudinem promota tenuitas, hoc vestro delectu tanta conciliata authoritas, huius concionis frequentia mei nominis tam multiplicata celebritas: deniq; gratias agat primus hic anatomicus labor, qui varietate, ac multitudine auditorum trãsferat meam grati animi testificationẽ ad exteros, ad memoriam posterorum.

Vos autem, Ill. Præsides, qui tot offi-

 ciorum

ciorum ad partes vocandi, ac immen-
sam laudum vestrarum seriem perse-
querer, præsentia vetuistis, vos Patres
amplissimi, vos studiosa iuuentus: & si-
qua [illegible] testes adesse volueritis exercita-
tioni meæ, cum vulgaria, cumque imper-
fecta sæpius occurrent, ne vitio volun-
tatis vertatis, sed primo quidem insitam
imbecillitatem ingenii, [illegible] longu
[illegible] ad [illegible]
ad penè [illegible] vale-
tudinis [illegible] quàm corporis, atq;
animi vires fregerit; quàm studijs aptā
vtramque tempestatem hyemalem, ac
vernam abstulerit, quàm sit asperum
post tot discrimina, ac temporum in-
teruallis literas intermissas recipere.
Semel etiam, atque iterum à sacra Su-
perum omnium commemoratione ex
Oratorum suggesto me dicentem audi-
uistis, quod mirum quantum est! Leue
quidem illud, & nullo temporis impen-
dio comparandum, partibus nihil soli-
dum constituentibus, argumentis inanibus,
& frigidis eruditiunculis pueriliter in-

farcire offam verborum: argumenta autem inuenire, eaq; quamuis disſita, & nihil plerumque communis habentia ita diſponere, ac temperare, vt ex ijs aptè concinneq; conſonans, & vndecumque ſibi mirificè reſpondens conſurgat oratio, atque hanc ita inſtruere, ita ducere artificioſo verborum circuitu, vt ſeſe inſinuet, ac flectat animos inexpectantes, numero mulceat, copia impleat, maieſtate præmineat, opus eſt non niſi expertis intelligendum, quot menſium excurſus exerceat. Aliquid inſuper tribuendum publicis Academiæ documentis, aliquid priuatæ iuuenum diſciplinæ, quibus ſubductis, vt alia etiam minus ſecunda prætercam, ipſi vos ſtatuite, quantum temporis ad hanc exornandam pompam ſuperſit. Otium ipſe precor a Superis commodum, atq; incolume, indè vero tantum tribuite voluntati meæ, vt elaboratius promittere quippiam poſſim.

DEMONSTRATIO

Propositionis Mechanicæ.


Videris iam, vt arbitror, lector Geometra, opus nobile de Resistentia Solidorum, quod nupertime prodijt a Viro doctissimo, amicissimoque, & olim præceptore meo Alexandro Marchetti Pis. Phil. Ord. Pro.. meritissimo; videris quam supra merita perhonorificè memoratum me etiam inuitum voluerit, quàm ingenuè fateatur quid de ea propositione Mechanica demonstrare & ipse potuerim; quo de nomine, vt omittam cætera, Ipsi deuinctissimus haberi volo. Huius igitur euulgandi opusculi occasione demonstrationem iã ferè a quinquennio a me excogitatam eo libentius exhibeo, quod ab ijs omnibus discrepat, quas Vir ille clarissimus protulit, & ab eadem mira facilitate deducitur celeberrima apud Mechanicos propositio de æquilibrio per

pondera reciproca longitudinibus, a quibus pendent; atque adeo sit totius Mechanicæ fundamentum. Scias interim hanc meis quibusdam principijs ordinari nulla axiomatum ope, quæ singula nullo negotio demonstro, sicut etiam adeo inquisitam propositionem, Momenta æqualium facultatum esse inter se vt distantiæ, a quibus pendent. Sed de his alias. Interim propositionē habe vulgato more demonstratam.

Momenta inæqualium facultatum ab inæqualibus longitudinibus pendentium, sunt in ratione composita ponderum, & longitudinum.

Pendeant ab inæqualibus longitudinibus C A, C B, inæquales facultates I, & H: fiatque vt pondus H, ad I, ita E, ad F, &

ut distantia C B, ad distantiam C A, ita F, ad G: erit ratio E, ad



G, composita ex tationibus pondernm H, & I, & longitudinum C B, C A. Dico momentum H, ad momentum I, esse, ut E, ad G. Secetur DH, æquale I. Quoniam momentum H, ad momentum

DH,

est vt pondus H, ad pondus DH, seu ad ipsi æquale I, seu vt E, ad F, & vt momentum DH, ad momentum I, ita CB, distantia ad distantiam CA, seu vt F, ad G: ergo ex æquo momentum H, ad momentum I, erit, vt E, ad G. Quod erat &c.

Corollarium.


Hinc nullo negotio deducitur quod ingeniosissimè quidem, sed nimis laboriosè a tot alijs ostensum est, Pondera reciproca longitudinibus, a quibus pendent esse æqualium momentorũ: tunc enim erit ratio momentorum H, & I, composita ex rationibus põderum

H, ad I, & I, ad H, quæ est proportio æqualitatis.

Duo adhuc monendus es, Lector, antequam te missum velim. Primum: vt exactè percipias quicquid in hac gratiarū actione comprehenditur, scias hoc eòdem anno à me habitam orationem inauguralem studiorum prima Nouembris in Schola Magna, vt appellant; & ibidem alteram in Anatomes exornationem ea ipsa die, qua Anatomicam administrationē institui. Alterum: ex ijs omnibus, quæ in Epistola nuncupatoria promissa vides, nullum expectes ante quadriennium ad minus, nisi immutentur rerum mearum vices; cum enim in theatro Anatomico publicè sim pollicitus semper diuersam lectionum seriem per quatuor, aut quinque annos, stare promissis volo, quod tamen est eximij laboris, neque alijs vacare permittens. Cæterum si quis interim aut dubia producet in indicatas opi-

opiniones, aut falsi euidenter easdem arguet, habebo illi gratias, & agam publice. Vale iam, & studijs meis benè precare.

FINIS.



AD SERENISSIMUM FERDI-
NANDUM II AUTHORE
LAURENTIUS BELLINI

47

48
2

AD SERENISSIMUM FERDINANDUM:
AUTHORE LAURENTIUS BEL...

Mc

